

CONCIO
DE GLORIOSISSIMA
CHRISTI DOMINI RESVR-
rectione, habita ad Canonicos Sædis Valentinae, à Hie-
ronymo Martinez de la Vega Valentino, sacris Ordi-
nibus initiato, ac eiusdem Sædis beneficiato, in
iucundissima sancti Paschatis
Vigilia.

*Ad Illustrissimum, & Excellentissimum dominum D. Iohannem
de Ribera, Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopum
Valentinum, Regiumq; Consiliarium, &c.*



VALENTIÆ:

Apud Iohannem Chrysoſtomum Garriz.
M. DC. VII.

HIERONYMI MARTINEZ DE LA VEGA VALENTINI, SUBDIACONI

Sædis Valentinae Beneficiati, Concio de Resurrectione Do-
mini, habita ad Canonicos Valentinos in iucundissima
sancti Paschatis Vigilia.

Tenebra transferunt, & verum lumen iam lucet.

1. Iohannis cap. 2.



EPLEVERANT universum or-
bem terrarum densissimæ ignorantie,
ne dicam erroris tenebræ; ita ut affir-
mari posset illud quod sacer habet tex-
tus, & factæ sunt tenebræ horribiles
in universa terra; omnis quippe caro
corruperat viam suam, versabaturq;
in quadam tetra caligine; lippis (ut
aiunt) oculis res cœlestes, quæ Dei e-
rât, quæ hominis captû exsuperabât,
animalis homo intueri non poterat. Qua de causa splendor patris,
& figura substantiæ eius, vera lux hominum, verbum æternum
tectum hac nostræ miserrimæ conditionis nube, ad illuminandû
eos, qui in tenebris, & umbra mortis sedebât, manens quod erat,
assumens quod non erat, factum est caro. Isaias Propheta, surge il-
luminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini su-
per te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo po-
pulos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te vi-
debitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendo-
re ortus tui. Et paulo post, erit tibi Dominus in lucem sempiter-
nam, & complebuntur dies luctus tui. Quod egregie divinus
Theologus noster Iohannes huius lucis nuncius, ac Lucifer ex-
pressit, dicens, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris
lucet, id est omnipotens sapientia patris, ad nos accessit, ut no-
stræ mentis fugaret, disjiceret, ac dissiparet errores. Hæc
est vera lux quæ numquam ullis tenebris obscurari potest, in te-
nebris splendet, fulget in caligine, emicat obscurissimo quovis
in loco. Hanc fulgētissimam lucem, sub modio sepulchri impiis-
simi iudei abscondere contenderunt, at vero lux divina anguste
habitare non potuit, nube circumdari nequævit, in tenebris latere

Exod. 10.

Lucæ. 12.

Iohan. 1.

Cap. 40.

ver. 1.

V. 10. eius
de capitis.

1. Evang.
cap.

1. Corint.
15. cap.

diu noluit, trium tantum dierum moram ferre nequivit; summo siquidem mane sepulchrum relinquens, tenebrasque disjiciens propria natura, ac potentia superiorem petiit auram, coelestem suae gloriae ascendit in sphaeram, altior nubibus in caelum concendit, surrexit Christus victor e tumulo, surgens tertia die secundum scripturas. Quo uno factum est, ut nos omnes ingenti gaudio cumularer, afficeretque insigni letitia; quemadmodum enim Sol reliquorum luminum fons, & origo, diei iucunditas, & alacritas, fulgentissimis suis radijs omnia naturae opera lustrat, illuminat, ac splendet: ita Christo Domino resurgente vero iustitiae, & lucis sole gaudet, exultat, dies festos agit sancta mater Ecclesia, hocque iure optimo, prodiit siquidem in lucem, quae antea in squalore versabatur; quae antea lachrymis seipsam conficiebat, sibi ipsi laetitudinis gratulatur; videt sponsum suum purpurea veste indutum, ornatum diademate quo ornavit illum mater in die desponsationis suae, idcirco hodiernus dies nos omnes non modo frequentes, sed etiam laetantes, ac gratulantes intuetur. Soli si quis temere voluerit lucem inferre, statim antiqui illi, magnique nominis philosophi objicient, soli lumen mutuas? Idem mihi nunc objici potest, si de hoc fulgentissimo lumine quod est tenebris trium dierum clarius, & pulchrius resurgit verba facere velim. Fateor me absque huius fulgentissimi solis lumine, de ipso agere non posse, nulla enim res (adhuc naturaliter ut perspectivi demonstrant) sine lumine ipsam illuminante conspicui, aut contemplari potest, sicque quemadmodum sol ipse non nisi propria luce intueri valet, ita divinus hic noster sol sine ipsius lumine videri non potest, quod & testatur divinus vates vera regum norma David, in lumine tuo videbimus lumen. Confugiamus igitur ad huius solis radios fulgentissimos, quin potius ad altius solis coruscantem (ut sic dicam) auroram Mariam, quae hodie plus solito iucundissima laetitiae signa ostendit. Tolle enim (ut ait Bernardus) corpus hoc solare quod illuminat mundum ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni, & spatiosi, quid nisi caligo involvens, & umbra mortis, ac densissimae tenebrae relinquetur? Totis ergo medullis cordium, (ut ait ipse Bernardus,) totis precordiorum affectibus, ac votis omnibus Mariam oremus, ac obsecremus, ut lucis fontem unigenitum suum deprecari velit, ut nobis aliquantulum suae divinae gratiae luminis velit impartiri dicentes.

Erasmus
Adag.

Franciscus
Barocius
lib. 4. suae
Cosmogr.
cap. 5. de
eclipsi Lunae
& Solis.
Psalm. 35.
V. 10.

Serm. de
Nati. beatae
Mariae.

Idem paulo
post.

Regina Caeli laetare Alleluia, &c.
Tene-



VLCHERRIMAE huius mundi
machinae conditor molitorque Deus
cum terram veluti centrum mundi,
caelum tanquam illius circumferen-
tiam admirabili artificio, singularique
providentia creasset; cumque univer-
sa naturae opera absque lucis benefi-
cio sordida esse animaduerneret, om-
nia tenebris obvoluta, ipsamque ter-
ram inanem, & vacuum, & quod dis-

Gene. 1. 5.
&c. n. 101

cerni, aut dijudicari non posset terra ab aqua, aqua ab aere, aer a
vaporibus, vapores a fumo qui per illos elevatur, ab illo, vel illis,
vel ab aere ignis, ignis a caelo, aut unum caelum ab alio, nec quod
videri posset quo colore homo ab animali, nec animal ab arbore
distingueretur, ac tandem quod futura esset veluti imago qua-
dam, non vivis coloribus, sed carbone tantum depicta; oportune
consultum ut primum omnium, ipsis rerum principiis, ipsis mun-
di primordiis lucem crearet, cuius fulgore, ac splendore, tanquam
facta essent, quam quae ab ipso deinceps facienda, veluti quodam
claritatis, & gloriae indumento circumamicta, naturali suo splendo-
re nitescerent, dixit igitur Deus, fiat lux, & facta est lux, & vidit
Deus lucem quod esset bona. Orta igitur statim fuit lux tam cla-
ra, & pulchra, ut nulla sit res quae ipsa luce carens pulchra videat-
ur. Exiit magna cum potentia, ac splendore tenebras consu-
mens, nubes dissipans, nubila solvens, densissimosque fugans va-
pores; pulchritudinem, decorem, ac rerum omnium venustatem
antea latentem ostendit, purgavit elementa, letitiam caelo intulit,
vivas, ac ultimis coloribus tegebrosam antea mundi picturam illa
stravit.

Cap. 1. V

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

1. 1. 1.

Haec autem, cum in orbis institutione sint facta, rursus aduo-
niens tempus, in eiusdem instauratione sunt felicitius adimpleta,
cum enim aliam partem mundam creasset, scilicet hominem, &
huic (peccati culpa) sempiternae noctis esset offussa caligo, cun-
ctaque undique densis tenebris obvoluta, & squalens, horrensque
esset omnium rerum facies, immensa suae bonitatis largitate prof-
pexit Deus, ut contraria contrariis curarentur, ut post tenebras

nova luce cuncta perfunderet, mitteretque ex se genitum, eiusdemque substantiæ filium, ipsum cœleste iubar, candorē lucis æternæ, lumen de lumine, lucem veram, iustitiæ solem, novumque institueret diem, illum scilicet, de quo olim est propheticè dictum, Hæc dies quæ fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. Lux igitur vera quæ nulla alia est nisi Christus, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, densissimas disjiciens gentium tenebras, obscurissimæque umbrarum, & figurarum nebula solvens orta fuit, ortus fuit Christus verum lumen, & divinus iustitiæ sol, cui (ut inquit divus Areopagita Dionysius) inter omnes creaturas corporeas nulla est ita similis, & in qua Deus ita luceat ut est sol, luminis enim increati velamen est istud lumē creatum, quando quidem tantum lucis nomine gloriatus est, ac solem mundum illuminaturū se esse indicavit, ut antequam oriretur, lucis nomine testimonijs, prophetis, & portentis, prænunciari, ac vaticinari voluerit. Testimonijs, ut illo Iohannis hic venit in testimoniū, ut testimoniū periberet de lumine. Prophetis ut Davide, exortum est in tenebris lumen rectis misericors, & miserator, & iustus, & alibi, lux orta est iusto, & rectis corde lætitia, Isaiæ, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meri dies, Michea, consurgam cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est, Malachia, orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, vel (ut vult Augustinus) in radijs eius, Habacuc, splendor eius ut lux erit, Sophonia, mane mane iudicium suum dabit in lucē, & ne plura recenseam Zacharia, & in tempore vesperi erit lux. Portentis quia ut inquit Paulus Orosius, & refert reverendissimus Cardinalis Baronius, cum primum Augustus Cæsar Imperator (Caio Cæsare avunculo suo imperatore interfecto) ex Apollonia rediens urbem ingrederetur, hora circiter tertia, repente, puro, ac sereno cœlo, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit, quasi unum eum, ac potissimum in hoc mūdo, solumque clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset qui ipsum solem solus, mundumque universum & fecisset, & regeret, quod etiam late scribunt Seneca, Plinius, & Dio in sua historia Romana, qui addit, sequenti anno (Hirsio, & Pansa consulibus) visum fuisse solem intra tres circulos efulgere, quorum unum quædam corona spicarum ignita circumdabat, quæ omnia futuri triumviratus causa fuisse demonstrata putavit, cum statim ipso primo triumviratus anno (Lepido &

Psal. 117.

Iohan. 1.

De divinis nom. ca. 5.

D. Thom. de Villa.

serm. 1. de D. Auguf.

Cap. 1. E-uangelij.

Psal. 111.

Pfalm. 96.

Cap. 58.

Cap. 7.

Cap. 4.

In hunc locū. Cap. 3.

Cap. 3.

cap. 14.

lib. 6. suæ hist. ca. 18

Tho. 1. in Appar. ad

Annal. Eccl.

ele.

Lib. 1. nat. quæst. c. 2.

Li. 2. hist. nat. ca. 18.

Lib. 45.

do & Planco consulibus) tres soles simul esse visos post Plinium idem Dio testatur, sed Paulus Orosius de Christi adventu intelligenda esse censet, ut late, & pulchre apud ipsum demonstratur. Quemadmodum etiam solem naturalem. (qui ab ipso vero iustitiae, & lucis sole lumē habet) post tertium diē creare, & post tertium cœlum collocare voluit, medium illi tribuens ac regi inter Planetas, ut luceret super terram, & divideret lucem à tenebris, sic ipse verus sol oriri voluit gentibus tertio post mundi creationem die, ut docet Ecclesiæ Romanæ firmissimum columen, ac fulgētissimum Sydus Bruno Chartusianorum Patriarcha sanctissimus, primus enim dies fuit ab initio sæculi usque ad Moysen, secundus à Moysen usque ad Christum, tertius vero à Christo usque ad finem sæculi, & tunc quidem (ait Divus Bruno) populus gentium qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, cæteri vero dies qui præcesserunt usque ad Christum sine luce fuerunt. Postquam natus fuit voluit ut non Angelus, non homo, nec alius Regibus appareret, ut eos, ad eum adorandum duceret, sed stella lucis scintilla, ut luce investigaretur, ac luce inveniretur lumen verum quod mundum totum illuminaturum erat. Factus etiam puer, post tertium diem ex septem tabernaculorum solemnitate, veluti sol sapientiæ ingressus fuit templum, ut suæ doctrinæ lumen ostenderet. Rursus quando assumpsit Petrum, & Jacobum, & Iohannem, & eduxit illos in montē excelsū, & transfiguratus fuit, instar figuræ solis transfiguratus fuit, (& resplēdit facies eius sicut sol) ut esset in eo quodāmodo visibilis invisibilis Deus, ut ait reverēdissim⁹, ac pijsissimus Dominus Archiepiscopus noster D. Thomas de Villanova huius nostri tēpli maximi decus ac ornāmētū singulare. Quid enim (ait) est sol iste corporeus, nisi simulachrum quoddam, & effigies increati luminis, & speculum nitidissimum, quo Deus mortalium oculis præsentatur, in Deo divinitatis unitas, personarum trinitas lucet, in eo Dei maiestas, virtus, potentia, immensitas, æternitas, decor, sapientia effigiata cernuntur; quæ enim Dei perfectio hominibus attingibilis non lucet in sole, unus Deus, unus sol; in una essentia tres personæ, in uno sole una substantia, ab una substantia tres formæ lux, splendor, calor; splendor à luce, calor à luce, & splendore. Quid (ut eum eodem beato Thoma exclamem) personis divinis accomodatius? ubi non solum personarum proprietas, sed etiam earum origo designatur, ibi enim

Li. 1. c. 11
Dio. loco
citato.
Orosius vt
supra.

Gen. ca. 1:
V. 14. &
V. 18.

Lib. de no
vo mundo
c. 2. de cœ
lis novis.

Isai. ca. 9.

Matth. c. 1.

Iohan. 7. c.

Matth. ca.
17.

Serm. 1. de
D. Aug.

Iohā. 1.
Ad Heb. 1

Cap. 7.

Lucæ. 12.

Circa hūc
locum.

Cap. 8.

Cap. 9.

Cap. 12.

Serm. 33.

Iohā. 12.

Ad Rō. 13.

sicut in divinis unum ab uno, & unum à duobus suppositis, quæ similitudo in tantum procedit, ut in sacris literis istarum nomina divinis personis accommodetur, de Patre enim dicitur, Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, de Filio dicitur apud Paulum, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, & libro Sapientiæ, candor est lucis æternæ, de Spiritu sancto dicitur, ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat. Ecce (ut inquit idem Thomas) lucis, splendoris, caloris, personis divinis nomina attributa. Postea quando passus in Cruce Christus est, sol obscuratus est, ut & obscurari, & pati verum solem indicaret, uel, (ut ait Divus Hieronymus) ne aut pendentem videret hominem, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur. Ac tandem in omnibus vitæ suæ actionibus, & operibus, demones scilicet fugando, visum restituendo, aut mortuos resuscitando, lucem inferre, ac solē se esse ostendit, ut ipse de se testatur apud Iohannem, ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, & alibi quamdiu sum in mundo, lux sum mundi; ac tandem apud eundem Iohannem, ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat. Quamvis vero orta fuit hæc lux, omnino orta non fuit, & adhuc tenebræ remanserant, quando quidem lux in mundum venit, & dilexerūt homines magis tenebras, quam lucem, donec postquam hic sol ad occasum sepulchri pervenit, & pulchrior, splendidior, ac obstantia nubila solvens, post tertium diem surrexit; vere enim ab ortu eius, usque ad occasum sepulchri, verum oriri solis non fuit, sed aurora, & matutinum ortus resurrectionis, ut sentit mellifluus Bernardus super Cantica; fuit namque (inquit) quædam huius aurora diei, in qua sol iustitiæ per Archægelum Gabrielem nūciatus est terris, & Virgo, Deum in utero, de Spiritu sancto cōcepit, & peperit Virgo, ac deinceps, quoad in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, nam usque adeo (inquit) per totum id tempus, lux pusilla, & tanquam lux revera auroræ apparuit, ut diem esse interim apud homines, pœnæ universitas ignoraret. Ipsis etiam paulis discipulis dicebatur, adhuc modicum lumen in vobis est, eo quod aurora esset, & initium, vel potius in dicium diei, dum sol adhuc absconderet radios suos, & minime eos spargeret super terram. Paulus quoque dicebat, nox præcessit, dies autem appropinquavit, significans esse tunc, adhuc adeo modicum lumē, ut propinquasse, quam venisse diem dicere malu-
luerit.

fuerit. Quando autē hęc dicebat (inquit Bernard' loco citato) pro
 feſto quando ſol reuerſus ab inferis, iā ſe ad alta cœli ſuſtulerat.
 Idem ſentit acutiſſimus Rupertus Abbas de celebritate reſurre- Lib. 7. de
divin. offi-
ciji ca. 13.
 ctionis, ſol erat (inquiens) iſte, ſed ideo non ſplenduerat ac-
 nus, quia ſoli obiectus medius obſtabat paries inimiciciarū, ſci-
 licet originale peccatum, at illum, in carne ſua moriens Chriſtus,
 parietem ſolverat, ac diruerat, qui illa ſpecularia animarum ve-
 rum ſolem expectantium, veluti umbra tegebat adverſa, & ſic,
 tunc vere poſt Chriſti reſurrectionem tenebræ tranſierunt, &
 uſque adhuc verum lumen iam lucet, ut ait Divus Iohannes lo- 1. Epift.
cap. 2.
 co citato. Tranſiit ſiquidem vetus homo, & novus homo illuxit,
 ut enim ait hæreticorum flagellum, religionis, fideique noſtræ
 propugnator acerrimus D. Thomas, tenebræ ad veterem homi- Super hūc
locum.
In gloſa.
 nem, lux vero ad novum pertinent; tranſierunt, ut ait Nicholaus
 de Lyra ſuper eundem locum, miſeriæ carnis in Chriſto, & cor-
 pus paſſibile, & verum lumen immortalitatis iam lucet, eo quod
 illuminat alios, qui fuerunt vetus homo, & tenebrę, nunc autem
 lux in Domino; tranſierunt tenebræ, & umbræ veteris legis, no-
 va vero omnino ſplendet, lex enim vetus appellatur tenebræ,
 & caligo, (ut Paulus loco citato) nox præceſſit, dies autem, &c. Ad R. 5. 13.
Deinceps.
 abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ubi
 pro luce Chriſtum intelligit, dum ſtatim ait, induimini Domi-
 num Ieſum Chriſtum; tranſiit ignorantia, & caligo, & vera ſa-
 pientia iam lucet, tenebræ enim ignorantiam, & lux ſapientiam
 ſignificant, ut in Eccleſiaſtes, & vidi quod tantum præcederet Cap. 1.
 ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris. Quo in loco
 antiquiſſimus Olympiodorus obiter ſic; tenebræ ipſæ per priva- Olymp. in
Eccleſiaſt.
 tionem lucis fiunt, ita ut lux quidem revera exiſtat, ita etiam, ſi
 Chriſtus mortuus fuit, & repletus tenebris mortis, tanē ſemper
 extitit lux divinitatis; tranſiit in ſclicitas, & ſclicitas iam lucet,
 tenebræ enim, & lumen, in ſclicitatis, & ſclicitatis ſunt ſymbo- Pſalm. 17.
 la, ut videtur in Pſalmiſta, quoniam tu illuminas lucernam meam
 Domine: Deus meus illuminatenebras meas, quo in loco Gene- Genebr. in
Pſalm. 17.
 brardus ſic, hæc omnia ſunt poetica, lumen, & lucerna ſymbo-
 la gloriæ, rerum proſperarum, & ſclicium; tenebræ, umbra mortis,
 aduerſarum, & inſclicium, & alibi, & educet quaſi lumen iuſti- Pſalm. 16.
 tiam tuam, id eſt, (docēte eodem Genebrardo) rebus proſperis
 proſperabit iuſtitiam tuam; tranſiit adverſitas, & orta fuit proſ- Lib. 1. Mo-
ral. Cap. 4.
 peritas, in ſcriptura enim ſacta, (ut ait divus Gregorius) nō un-
 quam

Li. 6. mor.
cap. 29.

Cap. 16.

Cap. 24.

Cap. 20.

Cap. 28.

Epist. 150
quæst. 4.

Psal. 58,
Cap. 11.

quam lucis appellatione prosperitas, noctis autē nomine, hulus mundi aduersitas designatur; trāsiuit peccatū, & miseria præsentis vitæ, & lumen cœlestis gloriæ iam lucet, tenebræ enim (ut ait idem Gregorius) vitam præsentem, & lux patriam æternam significant; trāsiuit mendacium, scilicet satan, & verum lumen veritatis iam lucet, scilicet Christus; trāsiuerunt tādē omnia opera tenebrarum, scilicet aduersa, per tenebras enim in scripturis sacris multa significantur, & quęcunque homini contraria, ut sunt tribulationes, aduersitates, ignorantia, & peccata, & verum lumen gloriæ iam lucet; trāsiuerunt etiam miseriæ mortalitatis, & dolores passionis in Christo, si enim dictionem hanc esse hebręam observemus, per tenebras sepulchrum intelligitur. Resurgente igitur Domino de sepulchro tenebræ trāsiuerunt, & verū lumen iam lucet. Videamus vero nunc quando surrexit, quomodo surrexit, & quisnam sit fructus eius resurrectionis. Quando autem surrexerit Christus Dominus magna quidem in eo apparet controversia, dum Marcus, Lucas, & Iohannes dicant mulieres venisse mane ad monumētum, & unus Mattheus contrarium videatur affirmare, dum nō mane, sed vespere (inquit) Sabbathi quæ lucebat in prima Sabbathi venisse mulieres ad sepulchrum. Attente igitur exquirendus evangelicę eius historię quam Mattheus recitat sensus est, quomodo idem possit esse, vespere lucebat in prima Sabbathi, quod alij dicūt (ut diximus) fuisse valde mane, ut ait Marcus, vel valde diluculo, ut docet Lucas, seu ut scribit Iohannes, mane cū adhuc tenebrę essent; sane quidem mihi videtur locus per difficilis, & qui sedulū postularet, exactumq; studium, cum & in eo non parum videamus fuisse defatigata doctorum virorum ingenia, quarum diversarum opinionum illa magis persuadere videtur quam scribit Divus Hieronymus ad Hedibiam, ubi post multa hæc ait, mihi quidē videtur evangelistam Mattheum, qui evāgelium hebraico sermone conscripsit, non tam vespere dixisse, quam sero, & eum qui verba interpretatus est, verbi ambiguitate inductum, non sero interpretatum esse, sed vespere, sicq; quod superius ait, vespere Sabbathi, sero sabbati intelligendum, hoc est, appropinquante iam luce sequentis diei, similem enim huic dicēdi usum sæpe divina scriptura usurpat, ut vesperam accipiat aliquando non pro ultima diei parte sed pro eo quod novissimum tempus dicimus, sic Psalmista convertentur ad vesperam, & in Iob, quasi meridies fulgor consurget

get tibi ad vesperam, & cum te consumptum putaveris orieris ut lucifer, sicq; illud, vespere autem Sabbathi quę luce sit in prima sabbati, idem esse, ac si diceretur, ultima hora quę luce sit in prima Sabbathi. At nos in eam opinionē adducimur quam tenet Rev. Cardinalis Baronius primo thomo suorum Annalium, ubi post varias circa hoc quęstiones, & post varias variorum opinionones, in ea sententia est, quod Mattheus non de vespere, hoc est ultima diei parte intellexit, sed de stella illa sic dicta, quę cum eadem sit cum ea, quę mane ante solem oritur, ob idq; ab omnibus Lucifer dicta, (ut Plinius in naturali historia, Iginus in sua sphaera, & alij testantur,) tamen unico nomine ab antiquis latinis, ut Plauto, & Varrone de lingua latina Vesperugo appellata reperitur, ut notat Divus pater Augustinus, eandemque ab Homero dictā esperon ait, à phariseis vero, qui nomina planetarum, sygnorum, & stellarum omnium, ex gręca Astronomia in hebraicam linguam transtulerunt, serva, vel lued esse appellatam Divus Epiphanius tradit. De ipsa itaque stella credimus evangelistam Mattheum intellexisse, atque dixisse mulieres venisse ad sepulchrū, ortu stellę eius diei, quę luce sit in prima Sabbathi, interpretem vero non curasse (ut notat idem Baronius) aliam eiusdem nominis distinctionem, cum præsertim additamento illorum verborum, quę luce sit in prima Sabbathi, eam satis expressam esse existimaret. Et sic contrarij evangelistę non videntur, dum omnes valde mane surrexisse dicere probavimus. Quamvis vero Marcus dicat, quod valde mane venerunt ad monumentum orto iam sole, nulla tamen ratione à superiori interpretatione recedimus, Dionysius enim Alexandrinus sic explicat, valde mane, id est summo diluculo profecionem, & itinerum mulieres inceperunt, in itinere autem moram traxerunt, ita ut ad sepulchrum pervenirent orto iam sole, sed de his satis. Videamus vero nunc quomodo surrexit, & sciendum, (ut ait Petrus de Palude in suo thesauro novo Evangelicarum enarrationum) quod Christus surrexit multis modis. Primo enim surrexit subtiliter, secundo utiliter, tertio veraciter, quarto velociter, quinto potenter, sexto integraliter, ac ultimo triumphantem. Dixi primo quod surrexit subtiliter, sine repugnantia ad modum solis, iuxta illud Machabeorum refulsit sol qui prius erat sub nubilo, nam sicut fulgentissimum illud corpus solare est tam subtile, quod nihil potest ei resistere quin surgat omni mane, ita Christus Dominus ve-

Anno Christi
34. &
Tiberij Imp
pc. 12.

Li. 1. ca. 8.
Lib. 2.
In Aulul.
Lib. 6.
Lib. 21. de
civit. Dei
c. 8.
In iliade.
Li. 1. hære
si. 16.

Eodē loco

Epistol. ad
Basylidem

Enarrat.
1. dom. Re
sur.

Lib. 1. c. 17.

rus

Varijs in
locis.

rus sol iustitiæ est tam subtilis in corpore glorificato, quod potuit resurgere sine aliqua repugnantia, sepulchro clauso manente; quod quidem citatus Paludanus probat natura, sicut enim (inquit) dicunt naturales, flos campi est quidam flos nobilis habens asperum stipitem, & quinque folia rubea, & potest naturaliter e terra exire, sine læsione ipsius pœnitus, & apertione; mystice iste flos significat Christum, qui pertulit asperitatem crucis, & habuit surgendo quinque rubea folia, id est, quinque vulnera passionis. Quid ergo (inquit) mirum est, si corpus Christi glorificatum potuit pertransire duritiem lapidis, cum ille flos possit de terra naturaliter germinare, sine ipsius apertione, & læsione. Secundo surrexit utiliter ad modum solis, quemadmodum enim surgente, siue oriente sole, tam utilis est, ut multæ, & variæ herbe terræ visceribus oriuntur, germinentur flores, & omnia generentur, crescant, & augeantur: ita utiliter Christus surrexit, quia non solus, sed cum multis, de quo divus August. dixit, Christus fuit granum in passione, & attulit fructum in resurrectione, quia si granum frumenti, &c. solus mortuus, non tamen solus resurrexit, quia eo surgente, sepulchra patefacta fuerunt, & corpora resuscitata, iuxta illud Matthæi monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt. Tertio surrexit veraciter, quemadmodum enim sol vere oritur, & hoc habet excellentiæ in se lux, ut ipsa, de se ipsa, per seipsam, clarum afferat, ac verum testimonium, & omnium, sese, eam inspicientium oculis patefiat: ita Christus Dominus veraciter, & sine fallacia surrexit, & ipse, de se ipso, per seipsum testimonium peribuit, quando quidem in corpore, & anima, & quinquies suis apparuit. Quarto surrexit velociter, nam sicut ortum solis, non solum percipiunt montes, sed etiam vales, & velociter suam quotidie adimplet circulationem: sic Christi resurrectio adeo evidens fuit, quod non solum montes, id est Apostoli, sed & milites eam cognoverunt, & iudges, & adeo velox, ut ipse de se dicat, exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad patrem, quasi faciens suam circulationem, triginta tribus annis completam, operando salutem in medio terræ sicut sol. Quinto surrexit potenter, quemadmodum enim sol propria natura, virtute, ac potentia resurgit: ita Christus Dominus propria virtute, ac potentia, cum gloria, & claritate surrexit, quod quidem de alio nusquam ligimus, invenimus enim, quod vivus suscitavit mortuum, sicut Petrus Thabitam; aliquando, quod

In serm. ni
si granum
frumenti,
&c.
Cap. 17.

Johan. 16.

Psal. 73.

Act. 13.

quod mortuus suscitavit mortuum, sicut corpus Elisei quendā
diffunctum in sepulchro suo positum, sed nunquam legimus,
quod aliquis suscitavit seipsum, qui esset vere mortuus; Chri-
stus vero, vivus mortuum Lazarum, mortuus mortuos, quia mul-
ta corpora sanctorū, &c. & mortuus seipsum resuscitavit. Sexto
surrexit integraliter, quia quemadmodum sol semper integer, ac
totus resurgit, & quidquid in eo est, luce plenum est, & refertū:
ita Christus Dominus totus, ac integer surrexit, quia nec manū,
nec pedem dimisit in sepulchro, & nihil in eo fuit, quod glorifi-
catum non fuit. Tandem surrexit triumphanter, quia enim sicut
sol victis tenebris, & nubila solvens, clarior, & pulchrior resur-
git: ita Christus Dominus victis tenebris, & umbra mortis, ac
peccati, triumphanter, sine mœstitia surrexit, quia triumphavit
victa morte, & auctore mortis, iuxta illud Pauli, Xps resurgens
ex mortuis, iā nō moritur, mors enim illi ultra nō dominabitur.
Fructus autem eius resurrectionis est, quod & nos quoque re-
surgētes ab operibus mortuis, nō ultra moriemur peccato, neq.
regnabit ultra peccatū in nostro mortali corpore, perpetua erit
nostra resurrectio sicut Christi. Nō igitur iterū sepulchrū repe-
petamus unde surreximus, scilicet peccatum, non talis qualis se-
pultus est Christus, talis resurrexit, sed immortalis, & gloriosus:
& nos quoque, in novitate vitæ consurgamus, in novas creatu-
ras innovati, & immutati. Viximus peccato, vivamus iam Deo,
viximus in carne, vivamus de cætero in spiritu, viximus in tene-
bris, vivamus nunc in luce; tenebrę enim trāsierunt, & verū lumē
iam lucet. Cum ipso igitur Christo vero lumine resurgente, &
nos à peccato, à vitijs, & tenebris resurgamus, ut quemadmodū
sol, purissimis ortus sui radijs, omnia purificat, & nitere facit: ita
Christus verus sol resurgens purificet nos à peccatis, postquam
nos lavit sanguine suo; ut sicut oriens sol, in visceribus terrę au-
rum, & cætera metalla, ac gemmas gignit: ita Christus verus Sol
resurgens, in viscerib' nostris, verū divinæ gratiæ lumē infundat;
à peccato enim, à captivitate, & ab hostib' liberavit, ac in meliōre
quēdā statū traducturos promissit, nō tamē invitos, & in peccatis,
ac vitijs nostris sēper volūtate herētes, sed delicta nra, ac peccata
cognoscētes, atq. detestātes; est enim mortis, & Resurrectionis
Xpi fructus, ut nos in illū corde credentes, & ante actę vitę verā
pœnitentiā agentes, peccatorū veniam consequamur, nec enim
frustra resurrexit Christus, sed fuit exaltatus à terra, vt omnia ad
se tra-

4. Regum;
cap. 13.

Iohan. 11.
Math. 17.

Ad Rom.
cap. 6.

D. Thom;
de Villa.
serm. de
Resur.

Apoc. 1.

Matth. ca.
13.

Li. 1. c. 14

Exponens
Pfal. 129.

Pfal. 33.
Auguf. in
huc locu.

Sermon. 75.
de Refur.

se traheret. Curemus igitur, ut quemadmodum solis radius, vaporibus terrenis, & aqueis impressus, eos purificat, & levificat, ut versus fontem suum, id est solem, à quo processit sursum rapiat, & subleuet: sic spiritus Domini, ac verum lumen resurgens, lenta nostra desideria, & gravia, à terrenis purgata, & mundata, in lucem, sive Deum, à quo processit rapiat, & trahat. Surgamus igitur ita à peccato, & tenebris, ut ad Christum verum lumen, in die iudicij accedamus, non terreni Adam imaginem portantes, ut impij, carnales, deformes, & ponderosi, sed ut electi, in gloriam filiorum Dei permutati, in spirituali carne fulgeamus sicut sol in Regno Dei, ubi verus sol refulget; sol enim symbolum gloriæ est, quatuor siquidem dotes gloriæ, in sole efulgere videntur, ut sunt claritas, quæ in ipso manifesta conspicitur; agilitas, in qua tot millibus annis perseverat, tam novus, & splendidus, ac die qua creatus est; subtilitas, quæ experientia comprobatur, dum in profundis terræ visceribus negotiatur gignens gemmas; & impassibilitas, dum per obscurissima, & sordidissima transiens loca, nitidissimus permanet. Huius ergo solis lumen queramus, per quod, (ut ait Ricardus de Sancto victore) quid agere, quid vitare, quid diligere, quid odio habere, quid credere, vel sperare debemus agnoscimus. Magnum enim lumen est, (ut ait D. Gregorius) quod tenebras cordis evacuat, mentis oculos purgat, animas erigit, corda accendit, edocet semitas iustitiæ, desiderium virtutis adauget, magnum lumen; per quod vitamus offendicula, præcipitia præcavemus, evadimus pericula, pertransimus laqueos, non timemus prospera, sustinemus adversa, respicimus errorem, sequimur veritatem. Quis non desideret hoc illuminari lumine? Quis non hoc fulgore illustrari expectet? Hinc est quod propheta nos admonet dicens, accedite ad eum, & illuminamini, ubi divus Augustinus, accedamus (inquit) ad eum, ut illuminemur, non quomodo ad eum accesserunt iudei, ut tenebrarentur; accesserunt enim illi, ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus, & sanguinem eius accipiamus; illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum, & bibendo illuminamur. Fidem igitur sectando, corde inihando, caritate currendo accedamus, & illuminabimur. Resurgente enim Christo vero lumine, (ut ait divus Petrus Grisologus ore aureo aurea verba fundens) lucescit vesper, dies infidelibus tenebrescit, discipulis nox mutatur in diem; iudeis dies vertitur, & muta-

tur

tur in noctē; nobis autem, (iuxta illud psalmistæ) nox sicut dies Psal. 138.
 illuminabitur, ita ut omnia illuminentur, omnia in die Domi-
 nico luceant, omnia clarescāt in Ecclesia, quæ in synagoga, in dēis
 obscurantibus, suffocabantur. Tu vero lumen verum, cœleste iu-
 bar, candor lucis æternæ, lumen de lumine, lux vera, iustitiæ sol,
 qui mundum condens luce illustrasti, ac eius similitudine, alium
 parvum mundum, scilicet hominem tenebris obvolutum illumi-
 nasti, tu qui tantum lucis nomine gloriatus es, ut antequam ori-
 reris, testimonium lucis peribueris, prophetis ortum tuum præ-
 nunciaveris, ac varios soles apparere feceris, tu qui tantum soli
 assimilari voluisti, ut sicut illum post tertium diem creasti, & post
 tertium cœlum collocaisti: sic post tertium mundi-creationis diē
 oriri, ac luce clara sicuti fuit stella inveniri, post tertium taberna-
 culorum diem lucem in templo inferre, instar figuram solis
 transfigurari, solem te esse in vita testari, ac naturalem solem in
 tua passione obscurari voluisti, tu qui tenebras disjiciens, ac nu-
 bila solvens, tertio die valde mane surrexisti subtiliter, utiliter,
 veraciter, velociter, potenter, integraliter, ac triumphanter, & ve-
 rum lumen iam lucens, ac victa morte resurgens, nos quoque à
 peccati tenebris resurgere fecisti. Tu (ut cum Ambrosio canam)

D. Ambr.
hymno. 8.

*Splendor paterna gloria
 De luce lucem proferens,
 Lux lucis, & fons luminis
 Dies diem illuminans,*

Idē hym. 3

*Aufer tenebras mentium,
 Fugacatervas demonum,
 Expelle somnolentiam,
 Ne pigritantes obruat,*

Idē hym. 1

*Cedant tenebræ lumini,
 Et nox diurno syderi,
 Vt culpa, quam nox intulit,
 Lucis labescat munere,*

Aut. Prud.
hym. ad
Gallicātū.

*Tu Cbriste somnum discute,
 Tu rumpe noctis vincula,
 Tu solve peccatum vetus,
 Novumque lumen ingere.*

D. Ambr.
hym. 4.

*Vides malum quod gessimus,
 Occulta nostra pandimus,*

Preces

Preces gementes fundimus,

Dimitte quod peccavimus,

Mens ecce torpet impia,

Quam culpa mordet noxia,

Obscura gestit tollere,

Et te (redemptor) querere,

Repelle tu caliginem,

Intrinssecus quam maxime,

Vt in beato gaudeat,

Se collocari lumine.

Idē hym. 3

DIXI.

V. Calanoua.

(Faint mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page)